

BL 48


.L3

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

1817



www.libtool.com.cn



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

XX XVI.

XL III

Adgaaet af:

Skjennet Tijens Stiftelse,  
bibliothek af Hr. T. Areds-  
doff, Cand. Theol. i  
Kjøbenhavn. 1818.



101

DE JURE CIVITATIS  
RELIGIONEM DOMINANTEM  
CONSTITUENDI

www.libtool.com.cn

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM  
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

INTER PUBLICA FESTA OB SACRA

PER

LUTHERUM RESTAURATA

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

DIE OCTOBRIS XXX. HORA IX.

MODESTE SUBMITTIT

CASPARUS FREDERICUS LASSEN

A CONCILIIIS STATUS ET SUPREMI TRIBUNALIS ADSESSOR

RESPONDENTE ORNATISSIMO

CHRISTIANO ALBERTO BLUHME

JURIS CANDIDATO.

HAVNIÆ MDCCCXVII.

TYPIS ET PRELO TYPOGRAPHICO NOVO

BOÆ BRÜNNICHII.

BL 48  
L 3  
1817

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

Commentatio hæc inauguralis, quam ut desiderio ordinis Jurisconsultorum Universitatis Regiæ Havniensis fatisfaceret, elucubravit Autor amplissimus, novum documentum exhibet ingenii et acuminis aliis scriptis fatis superque computati, adeo ut ab eo Ordine omnino digna æstimata sit, quæ publico Eruditorum examini pro summis honoribus in utroque jure rite obtinendis subjiceretur.

*Schlegel,*

Dec. Fac. Jurid.



5333K  
6aug51  
Law Ref

705  
1349

19-10336



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

## Prolegomena.

**L**icet quæstio, quam tractandam sumsi, ad illas pertinere forsan videatur, quæ jam dudum acutissimorum æque ac doctissimorum virorum disquisitioni materiam præbuerint, tamen, cum facere non possim, quin in iis, quæ mihi contigit perlegere scriptis, pleraque partim carpenda, partim desideranda occurrisse fatear; ignoscendum mihi videbatur, si quamvis imbecillitatis mearum virium probe memor, non omisso eorum, quæ legendo invenissem, usu, iusta principia uno quasi tenore, quantum in me foret, ipse enucleare auderem. Plurimi præ-

terea, qui de juribus civitati quoad religionem concedendis disputarunt, non omnino eandem, quam mihi proposui, ante oculos habuerunt, quæstionem; de qua disferere in mentem eo magis venit, cum festum, cujus celebrandi occasione, pro summis in jurisprudentia honoribus certare mihi oblatum fuit, non potuerit non animum convertere ad talem juris-scientiæ partem, quæ licet remotius, at-tamen quantum res ferebant, finem il-lius respiceret.

---

§. 1.

*De religionis notione.*

**R**eligionis notionem quod attinet, de ea quid afferre forsitan & a me alienum & per se superfluum esse videretur. Quoniam vero disputationi, quam instituimus, materiam præbuit religio, explicationem ejus eo minus prorsus omittendam esse putaverim, cum ab essentia ejus deinceps elicienda sint argumenta. Quemadmodum vero jam ex vulgari usu loquendi nomine religionis (objective acceptæ) ni fallor, significari solet omnium, quæ ut divina cogitantur, præceptorum complexus, ita nec alia, quatenus ejus cogitatio suscipitur, ante oculos haberi posse videtur notio. Hæc enim cum antiquior sit scientiis, quarum disquisitionibus ansam dedit, exinde quoque sequitur, ut quoties circa religionem suscipienda sit demonstratio, ea ut talis acci-



piatur, qualis consuetudine dicendi nobis data sit. Hoc vero cum ita sit, de justa religionis notione copiosa non opus esse videtur [www.libipol.com.cn](http://www.libipol.com.cn), omnes enim, quotquot vel aliquam religionem agnoverint, ejus præcepta pro divinis habuisse, vix aliquis negaverit. Hujus autem qualitatis agnitione præcipuum religionis criterium constitui, inde vel maxime apparere videtur, quod earum, quæ hactenus locum habuerunt, religionum, diversitas in ipsorum, quæ continent, præceptorum, differentia, versatur, quodque, nulla hujus differentiæ ratione habita, ad unamquamque religionem referri solet doctrina eorum, quæ sectatores ejus divina auctoritate præcepta esse censuerint. Jam vero & quoad argumentum earum, quæ ut diversæ considerantur, religionum, quandam & sane non nullius momenti convenientiam occurrere, equidem nullo modo negaverim. Ita primum quælibet religio quandam de nu-



mine divino ejusdemque ad homines relatione doctrinam haud dubie nobis tradit, ita ut eatenus igitur eandem materiam pertractare videantur omnes religiones. Quid quod etiam in iis, quæ jussu divino præscribi censentur, eo magis quædam similitudo obtineat necesse est, cum, qui hominibus infusus est, sensus moralis vix efficere potuerit, quin in iis, quæ cum eorum agendi ratione libera arctissime cohærent, a veritate, quæ in unaquaque re una est, saltem non omnino aberrarent. Quamdiu vero quicumque jussus, modo ut in voluntate divina fundatus confideretur, absque alio respectu, religionis instar habetur, sufficiens quoque ratio religionis denominatione utendi in ipsa illa divina auctoritate, quæ jussui tribuitur, aderit. Quemadmodum igitur celeberrimus Kantius \*) religionem subjective sumtam, me judice, jure

\*) Religion innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft p. 229.

lic-definivit, ut sit omnium nostrorum officiorum agnitio ut divinorum præceptorum; ita quoque ex allatis patere videtur, justam esse, quam indigitavi, definitionem, quatenus objective accipitur vocabulum. Quamvis scilicet religio non nisi in animo hominum residere potest, tamen, me judice, notio ejus non solum subjective, verum etiam objective accipi poterit. Illud fit quando *ipsam agnitionem* præceptorum ut divinorum ante oculos habemus; hoc vero, quatenus proprie nobis repræsentamus *ipsum præceptorum complexum*. Ab hac parte omnino spectatur notio, quoties prædicatur aliquis, hanc vel illam religionem agnoscere; hoc enim non iterum de ipsa agnitione prædicari posse in promptu est. In specie vero etiam cum sermo est de jure dominantem constituendi religionem, non potest non respici ipse complexus præceptorum, quæ vel una vel alia communio, una vel alia gens ut divina agnoverit,

cum ipsa præceptorum agnitio, quæ in animo hominis inclusa est, nequaquam potestati civili materiam præbere poterit. Ceterum, [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) quamvis forsan in superfluum, de definitione tantum adhuc monere liceat: primo forsan intuitu religionem, quam dicimus naturalem, excludere videretur ea, quam posuimus, definitio. Nequaquam vero hoc ita est. Etsi enim religionem, quæ naturalis (seu universalis) prædicatur, solius operationis cognoscere valemus, præcepta ejus nihilo minus ut in voluntate Dei simul fundata non solum contemplare possumus, verum etiam ut eadem ita contemplemur omnino necesse est. Quamvis scilicet indolem voluntatis divinæ perspicere non valebit intellectus humanus, tantum certe statuere nobis licet, Divinum Numen non posse non velle, ut rationis nostræ præceptis obtemperemus. Deo enim optimam, quam concipere possumus, voluntatem esse tribuendam, ne-

mo certe negaverit. Cum vero æterna immutabilitas entis, cui nulla prorsus inesse potest imperfectio, ne quidem hominum operas in utilitatem ejus impendendas admittat, quid aliud restat, quod, nulla revelatione duce, Deum nobis jubere statuamus, quam ut officiis, nobis metipsis æque ac aliis hominibus debitis, satisfaciamus. Cum vero Deum cogitando facere non possumus, quin omnia, quæ ratio præscribit, officia, simul ut divina auctoritate munita consideremus, satis quoque patere videtur, allatam definitionem eam omnino complecti religionem, quæ naturalis prædicanda est. Ita vero nequaquam, quod forsan putaret aliquis, permilcentur moralitatis atque religionis notiones. Ex allatis enim quidem fluit, religionem (subjective consideratam) simul complecti moralitatem, id quod etiam, licet breviter, nuper evictum esse crediderim. Latius vero quam moralitatis patet notio religionis. Deum enim



cogitando, non possumus non etiam ponere ideam vitæ æternæ, in qua unicuique eam, quam per suam agendi rationem in hoc mundo, meruerit, felicitatem assignabit numen Divinum; Igiturque præcepta, quamvis ratione imposita, dum simul ut divina considerantur, robur certe fortiantur, quo alias carerent. Partim enim novum sic oritur motivum, quo, licet ipsius præcepti repræsentationem sufficere oporteret, hoc tamen efficacius fieri potest; partim cuilibet, licet maxime virtuti student, cui adversa fuerit fortuna, solatium præbetur, quo destitutus facile in devia duceretur.

§. 2.

*De diversarum religionum possibilitate.*

Religionis notione jam, quatenus necessarium esse videbatur, stabilita, ordo rei ad explicationem prædicati dominantis ferre videtur. Cum vero, quæcunque nobis concipienda sit notio hujus

prædicati, primo tamen intuitu appareat, istud diverfarum religionum possibilitatem respicere, forsan commodior erit transitus, si [www.indol.com](http://www.indol.com) speciatim hanc possibilitatem paucis attingamus. Hanc vel brevissime commemorare forsan omnino supervacuum esse videretur; diversas enim dari religionum denominationes, veluti christianæ, judaicæ &c., vix aliquis ignorat. Et ab esse ad posse semper valet consequentia. Cum vero ea ponendo, quæ de religione naturali jam allata sunt, forsan id egisse viderer, ut omnino contrarium demonstrarem, objectioni tamen, quæ ab hac parte surgere videtur, occurrere, vix a re alienum erit. Hanc igitur quod attinet, re vera quoque fatendum est, non nisi unam concipi posse religionem naturalem, quæ tanquam fundamentalis seu universalis consideranda est. Quoniam enim eadem semper est essentia rationis, eadem præcepta quoque ut divina non potest non ratio agnoscere.



Cum vero nobis distingvere licet inter religionem naturalem et talem, quæ positiva seu revelata (cujus possibilitatem certe non rejicit ratio) prædicatur, jam exinde patere videtur, nos in contradictionem non ideo incurrere, quod, dum ab una parte unicam dari religionem naturalem statuimus, ab altera possibilitatem plurium religionum innuimus. Nondum tamen omnem dubitationem ita removeri posse concedo, Cum scilicet in genere una eademque sit religionis essentia, inde etiam concludendum esse videretur, non solum, præter unam, nullam dari posse religionem revelatam, verum etiam oportere, ut hæc cum naturali coincideret; unde porro flueret, partim illam, quæ in quæstione est, contradictionem veram habendam, partim merito quærendum, esse, cui usui foret revelatio, quæ non aliud quam nostra ratio nos doceret. Istam vero contradictionem quod attinet, in memoriam revocare li-

ceat, quod de notione religionis supra dictum est, eam scilicet ut talem accipiendam esse, qualis nobis vere data est. Satis enim [cuique constat](http://www.digitallibrary.com), in iis, quæ, vel merito vel immerito, revelatæ religionis nomine veniunt, doctrinis, plura occurrere, quæ præcepta moralia non constituunt, partim vero miraculorum aliorumque eventuum narrationes sint, partim autem ritus atque ceremonias, ut dicitur, in honorem Dei celebrandas, docent. Quodsi jam de certa religionis notione ab initio constituenda quæstio esset, illam quidem vix eo usque extendi oporteret, ut ejusmodi narrationem historicam contineret, cujus veritatis agnitione quidem ad moralitatem necessaria videtur. Cum vero e contrario nobis ad eam religionis notionem, quam sibi vere formaverint homines, respiciendum est, nullo modo partem illam historicam præterire licet, et quidem eo minus, cum vulgus, ideoque maxima pars hominum,

eam certe pro religionis præcipua parte habeat. *Inde* quod attinet ritus aliosque actus, qui proprie ad cultum Divinum referuntur, eos, ni fallor, potiori adhuc jure statuitur, ad religionem pertinere. Quamvis enim certe non is sum, qui preces vel ritus in locum piæ rationis agendi subrogari posse credam, generatim tamen cultui Divino vacare me judice officio congruum est. Ea enim est indoles hominum, ut nonnunquam in eorum situm sit potestate, incitamenti efficere, ut vires, quæ alias facile sopirentur, experge fiant; igiturque etiam, quatenus piis propositis excitandis atque sustinendis inservire poterit cultus Dei, ad hunc confugere debent homines, quorum diversus status animique indoles ceterum ferunt, ut magis vel minus illis opus sit incitamenti. Etsi vero igitur ut officium saltem conditionale considerandum est, cultui vacare divino, hujus tamen regulas tam accurate vix præscribere valebit ra-

tio, quin variæ, et quidem interdum æqve fini consentaneæ dari posse videantur, ita ut, quatenus cultus divinus ad religionem refertur, hæc omnino, immo etiam, nullo habito respectu revelationis divinæ, varia esse possit. Relationes vero quod attinet ejusmodi eventuum, qui religionis causa ut divinitus manifestati censentur, eorum quidem plures inter se dissentientes ponere certe nequimus. At si respiciamus argumenta, quibus certiores fieri possumus de veritate eorum, quæ divinitus revelata esse creduntur, sine dubio intelligemus, qua fieri potuerit ratione, ut diversorum dogmatum alii alia agnoverint. Quodsi enim perpetua non ponenda est inspiratio, quam dari nemo facile probare valebit, non nisi duplici via dantur argumenta, quibus nuper commemorato respectu utilicet. Partim scilicet religio universalis, partim historia nobis auxilio erit. Illa vero fini modo eatenus inservire potest,



quatenus, ea duce, cognoscitur, ut falsam rejiciendam esse quamcunque doctrinam, quæ illius principiis repugnat. His igitur principiis ~~limites~~ ~~constituuntur~~ ~~constituuntur~~, intra quas historia, quatenus in quæstione est, sibi circumspicere potest argumenta. Cum vero ea est indoles argumentorum, quæ historiæ debentur, ut non solum sæpius difficillimum sit, eadem indagare, verum etiam de gradu eorum nonnunquam dubitandi locus sit, certe vix mirari possumus, si ne quidem inter viros, qui facultate gauderent, necessarias de rebus sacris instituendi disquisitiones, adfuerit consensus; multo vero minus hic expectari potuit in diversissimorum hominum multitudine, quibus non sapere contigerit ultra illam notitiam, quam donationis instar, iis distribuerit parvulus virorum numerus, qui sacrorum studio gaudentes, tamen & doctrinæ & animi diversis dotibus ornati fuerint. Quodsi igitur meminerimus, ad religionem ab ho-

minibus inprimis referri agnitionem eorum, qui divinitus revelati esse censentur, eventuum, una cum regulis cultui divino præscriptis, quæ vero omnia cum præceptis moralibus ita colligata iisdemque adjuncta occurrunt, ut non facile separari possint, omnino intelligitur, quo jure non nisi unam ponentes religionem universalem, inter diversas religiones distingvere possimus. Ex allatis vero etiam, ni fallor, patebit, locum ante commemoratum non amplius esse quæstioni: cui usui fuerit divina revelatio, quæ saltem directe non circa eadem versatur, quæ religioni universali proposita sunt, de cujus beneficiis vero, si non satis exemplo religionis Christianæ id evictum esset, tamen nequaquam dubitaverit, cui non omnino ignota sit natura hominum, qui rationali quodam principio, si vel maxime ejus veritatem cæpere valeant, tamen certè non tam commoventur ac si illud miraculoso modo ab initio manifestatum



crediderint, immo quorum vel summa pars ne quidem unquam eorum, quæ rationalis entis maxime interfunt, cogitationem suscipere, si non stupendis excitarentur mediis; quapropter etiam fatendum est, ad introducendam ipsam religionem universalem unam omnium efficacissimam esse revelationem.

§. 3.

*De notione dominantis religionis.*

Supra cum nobis, quantum ferebat res, absoluta esse videatur disquisitio de religionum diversarum possibilitate, quo sensu dominans dicenda sit religio jam videbimus. Plurimi, qui usi sunt prædicato, quod jam in quæstione est, eam, ni fallor, definitionem tradiderunt, ut dominans sit religio, cujus exercitio- nem absque limitibus permiserit civitas, illique tum opposuerunt eam, quæ non nisi cum restrictione civiliter (a civitate) approbata est. Quamdiu jam civitatem

cogitamus, quæ modo unius vel maximum quarundam religionum liberam permittit exercitationem, in ejusmodi civitate, reliquarum **inhibitu**, **dominari** quidem dici potest quæcunque plena fruitur libertate. Sin e contrario, quod locum habere potest, in quadam civitate ponimus cuilibet religioni liberrimum concessum esse exercitium, definitio primum naturali vocabuli notioni minus congrua esse videbitur. Quemadmodum enim univ<sup>er</sup>sim nemo dominari dicitur nisi respectu aliorum, quibus superior esse censetur, ita in specie religio nec prædicari posse videtur dominans, nisi ratione habitâ aliarum, quibus aliquo nomine præfertur, religionum; quod vero cum allata definitione, quam si secuturi essemus, in ejusmodi civitate, quæ in hypothesi est, omnes religiones dominari diceremus, tamen non conveniret. Jam quidem cum agitur de terminis, quorum certa significatio alicui scientiæ inservire

debet, sæpius ab usu loquendi vulgari recedere licitum, immo necessarium esse poterit. Sed nunc nec huic locus esse videtur argumento. [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) Quotquot scilicet juris universalis principia docentes, de potestate civitati imperantive circa sacra concedenda egerunt, eum quidem in finem vocabulo quæstionis certum subjiendum esse forte voluerint sensum, ut brevius litis cardinem declararent; verum etiam hoc respectu minus adæquata esse videtur allata definitio. Quoties enim quæritur, an dominantem, eo quo definita est sensu, acceptam, in civitate præscribere liceat religionem, eo proprie redit quæstio, num civitati licitum sit determinare, cujus religionis liberam concedenda sit exercitio. Jam vero certe vix institui poterit ejusmodi disquisitio, nisi etiam investigetur, num in genere liberum religionis exercitium denegandi æque ac concedendi jure gaudeat civitas. Hisce vero si vel maxime responderetur quæstionibus, ma-

teria litis nondum exhausta esse videretur. Quando enim affirmative responderetur, non ideo tamen constaret, quo modo religionem, quam civitas dominantem declararet, sustinere licitum esset, cui vero disquisitioni religionis indoles haud dubie peculiariter occasionem daret. Sin e contrario negativa fieret responsio, exinde quidem fluere videretur, unicuique religioni plenam dandam esse libertatem; at nihilominus quæstio restaret, an, salva cujuslibet libera religionis exercitatione, pro una præ ceteris religione nihil efficere liceret civitati; ea vero quoque res est, quæ non omittenda esse videtur. Potius idcirco sequendus nobis est usus loquendi. Eo vero duce, ex supra jam allatis sequitur, religionem duplici sensu dominantem esse prædicandam, primo scilicet quasi historico, quando maxima cujusdam populi pars eam amplexa est, altero vero et quidem juridico (quia nempe de jure originem trahit)



quatenus civili auctoritati debetur ejus præ ceteris prærogativa. Hoc scilicet posteriori sensu accepta notio fini nostro maxime congrua esse videtur. Prorsus enim fieri non potest, quin suscipiendo disputationem de jure, cuidam religioni præ ceteris adlistendi, simul, num in genere licitum sit, de libera religionis exercitatione statuere, disquiramus; ideoque nostra definitio eadem primum præstare videtur, ac illa, quam supra commemoravimus. Inde vero quæ huic vitio data sunt, illi non imputanda esse videntur, cum quæstionem de dominante religione, nostro sensu accepta, instituendo, certe non possumus non eas, quæ alteram definitionem sequendo præterirentur, simul complecti quæstiones. His vero ita expositis, ante quam ultra progredimur, uni occurrere objectioni non omnino superfluum esse videtur. Forsam nempe aliquis objiceret, me omisssa parvula, quam de "*dominantis*" religionis notione

peregi, disquisitione, idem obtenturum fuisse, si nullo istius prædicati usu facto, dissertationis, quam suscepi, argumentum aliter, quam titulus indicat, declararem. Ego vero respondeo: partim tanta saltem est thematis, quod mihi proposui, similitudo cum eo, quod pertractarunt, qui de dominante religione altero, quem nominavi, sensu accepta, disputarunt, ut mutuam horum thematum relationem indigitare certe non a re alienum esse videretur; partim mihi, si non ultra, quam res externæ viresque permiserint, promississe viderer, forsitan plura, ceterum nulli usui, addidisse verba opus fuisset. Quod reliquum est, ex allatis de nostræ controversiæ statu jam satis constare videtur. Nobis scilicet primum est videndum, an uni religioni præ aliis prospicere liceat civitati, et si huic affirmative respondendum esse videatur quæstioni, eorum, quæ pro certa religione



licite facere poterit civitas, generalia nobis enucleanda sunt principia.

[www.lib4ool.com.cn](http://www.lib4ool.com.cn)

*Varia de jure civitatis circa religionem  
sententia.*

Autorum, qui de jure civitatis disputarunt, scripta circumspicienti, duo quasi extrema obvia mihi fieri videntur. Alii scilicet civitati religionis æque ac omnium aliarum rerum intuitu summam auctoritatem tribuerunt, imperantique absolutam statuendi potestatem, quam cuilibet extrinsecus agnoscere liceret religionem, tribuendam esse docuerunt; quam sententiam vir maxime ingeniosus sibi que consentaneus Hobbesius stabilivit \*). Alii, quorum in primis eminent Fichtius, e contrario religionem a fine civitatis omnino alienam esse censentes, ne ullam quidem potestatem circa sacra civitati concesserunt. Denique nec desunt, qui

\*) Leviathan.

mediam ingressi fuerunt viam. Hos scilicet non latuit, societatis *civilis maxime* interesse, ut in subditis vigeat religio. Sed ex indole hujus dum arguere conati sunt, potestatem civilem universim non immiscendam esse rebus sacris, tamen ne doctrina fini civitatis perniciosa spargeretur, prospiciendi jus imperio civili tribuerunt. Hæc, ni fallor, summa est demonstrationis, quam æque docte ac eloquenter tradidit veritatis amantissimus Mendelsohnus, cujus in libro, qui insignitus est *Jerusalem*, occurrunt loci, unde concludendum esse videretur, ex sententia ejus non omnino prohibendum esse civitati, cuidam imprimis favere religioni, qui vero tamen luculenter satis declaravit, se non ultra principia universalis religionis civitati concessisse jus efficientiam suam extendendi, ita ut quæstioni, quam mihi proposui, re vera ex sententia ejus omnino negative respondendum esse videretur. Majorem civitati concessisse

potestatem videtur Zollnerus, qui in libro, cui inscribitur über Moses Mendelsohns Jerusalem, pag. 125, sibi videri declarat, civitati, quæ ab una parte religionem non negligeret, quæ vero ab altera subditorum conscientiam coercere nollet, haud alium patere exitum, quam nonnulla privilegia alicui ex religionibus, quæ vigent, concedere, ceterasque cum conditione admittere. At si deinde summam respicimus, quam ipse auctor pag. 130—131 apposuit, re vero iterum civitatem omni pro certa religione intercedendi jure privat. Loco enim laudato civitatem convenienter agere docet rationis nec non politicis principiis, quando in iis, quæ religionem attinent, plenam civibus relinquit libertatem suam sequendi conscientiam, simul autem prohibet, ne unius partis circa religionem opinio, sive vera, sive falsa, alterius jurium violationi occasionem det. Hac vero asserptione haud aliud indicasse vide-

tur principium, quam liberum cujuslibet religionis exercitium unicuique absque discrimine permittendum esse. Quæ jam recensitæ sunt sententiæ, earum, quæ maxime vel forsan rectius omnino materiam nostram attinent, præcipuæ esse videntur. Quid mea sententia de iis statuendum sit, proprie non aliter demonstrare potero, quam seriem notionum explicando quibus ad finem perveniendum esse mihi videtur. Tantum igitur nonnulla loco hoc monenda esse videntur, ut statim saltem appareat, quo respectu partim a tantorum nominum theoria recedendum, partim in eadem non subsistendum esse videatur. Ad Hobbesianam igitur sententiam primum ratione habita, statim, ni fallor, apparebit, eam, quæ in manibus imperantis posuit, potestatem suam quoad religionem eo usque extendere, quò vel unquam porrigere potest, nullam plane intuitu hujus subditis reliquisse libertatem. Affert quidem ille



auctor in libro ante citato, pag. 234,  
"credere & non credere non sequuntur  
"imperata hominum, qui an credamus  
"necne, scire non possunt, nec, si sci-  
"rent, mutare." Pergit idem sequenti-  
bus verbis: "quid si jubeamur a princi-  
"pe nostro legitimo dicere, quod non cre-  
"damus, obiendumne est? respondeo, vo-  
"cem hominis rem externam esse, neque  
"significare obedientiam proferentis pos-  
"se magis, quam alius quicumque gestus  
"corporeus." At si quid efficiendum es-  
set argumentis, quæ in laudatis locis con-  
tinentur, in eo certe consisteret, ut cui-  
libet sufficiat religio, quam animo inclu-  
dere possit, utque nemo læderetur eo,  
quod externi actus, quos suscipere jube-  
atur, cum internis cogitationibus ejus  
non conveniunt. Hæc autem, si vel  
maxime omittamus, non inde intelli-  
gationem, cujus causa interesset civitatis,  
ut subditi verbis effari cogerentur, quæ  
animo non tenerent; præterea prorsus



non solatio essent iis, qui pro religione haberent, externos actus suscipere, qui vel iis interdicerentur, vel quorum contraria præciperentur, ideoque nemini certe ita persuadere licebit, illi quoad religionem nulla opus esse libertate externa. Hanc e contrario subditis plane relinquit systema Fichtianum, cujus ex principiis ne quidem ulla moveri poterit quæstio de limitibus exercitioni religionis qua talis ponendis. Quemadmodum vero istud nullum prorsus locum permittit de religione dominante quærendi, ita hanc quidem ob causam eidem non accedendum esse videtur, quod civitati religionem superfluam esse profiteatur, et intuitu hujus ad plenam incuriam a parte civitatis observandam ducat. Mendelsonium quod attinet, certe non negari potest, quin ex religionis indole principiis egregie deductis, recte vindicaverit libertatem conscientiae; sed anquirere oblitus fuisse videtur, an nulla conscientiae imposita coercitione, pro

certa religione (positiva) propaganda vel sustinenda nihil suscipere queat debeatque civitas. Si vero videamus, quid hoc respectu monuerit Zollnerus, ubi quædam privilegia connectenda esse voluit cum certa religione, ad modum vaga jam esse videtur sententia hæc. Si verba presse sequenda essent, etiam ultra, quam fas est, civitati haud dubie ita concessisset. Cum vero deinde, supra commemorato loco, tanquam in unum redigere voluit, quod antea se demonstrasse censuit, nullum fere locum reliquisse videtur prærogativæ certæ religioni concedendæ. Ceterum monere vix necesse est, nostræ reipublicæ litterariæ non deesse disertationem, ab auctore summa doctrina æque ac acumine elaboratam de religionis atque civitatis relatione. \*) Adde vero liceat: cum auctoris consilium proprie fuisse videatur, ut quantum et quomodo civitatis intersit religio, doce-

\*) Eunomia pars Ima p. 39-93.

ret, de jure dominantem religionem præscribendi proprie non diseruit, ita ut in hoc inquirere per illam disertationem non superfluum factum esse videatur.

§. 5.

*Transitus ad ipsam demonstrationem juris civitatis circa sacra.*

Absoluta jam videntur, quæ nobis præmittenda essent, ut quasi viam præparare liceret ad ipsam demonstrationem, qua, supra expositis quæstionibus nobis proprie respondendum sit. Cum vero de iis quid statuendum sit, deducere nequeamus, nisi ex principiis de jure civitatis circa religionem in genere, hæc vero principia non possint non pendere ex indole ac fine societatis civilis, hinc quoque ordiri nobis necesse erit.

§. 6.

*Nonnulla de indole ac fine civitatis.*

Quamvis ad fundamentum usque civitatis quasi descendendum esse putaverim,

integram tamen societatis civilis notionem tanquam ab origine deducere mihi certe non in animo est. Tantum modo id agendum esse videtur, partim ut ante oculos habeamus momenta, quæ proxime nostræ sententiæ tuendæ inservire poterunt, partim ut hæc, quatenus aliquo jure in quæstionem vocari poterunt, non argumentis destituta esse videantur.

Quod igitur attinet societatem civilem; inter juris publici doctores tantum satis constare videtur, ut tanquam pacto constituta consideranda sit. Hujus vero de pacti fine non ita constat; aliis enim eo usque patet, ut omnia quæ summam ad felicitatem æque ac honestatem et pulchritudinem pertineant, complectatur. Aliis e contrario ad securitatem tam arcte restringitur, ut ultra hanc suam extendere curam civitati nefas esse putent. Tertiam denique partem constituere videntur, qui primarium et quidem proprium finem pacti unionis civilis in sola



securitate posuerunt, ipsius autem securitatis causa curam civitatis nihilominus extendendam esse voluerunt ad omnia, in quibus primæ sententiæ sectatores ipsum finem posuerunt. Primam quod jam attinet sententiam, de hujus veritate eo minus loco hoc disputandum esse putem, cum fini mihi propolito non necessarium esse videtur, id quod postea luculentius apparebit. Quodsi vero justa sententia eorum foret, qui securitati soli prospiciendum esse voluerunt, partim ne ullus quidem relinqueretur locus quæstionibus nostris, partim eo ipso de reliquis actum esset sententiis. Illa igitur statim in quæstionem vocanda esse videtur. Verumtamen accuratius si consideretur, vix bene constare sibi videbitur. Docuerunt quidem hujus doctrinæ fautores, ejusmodi leges ferri et tales institutiones in civitate fieri oportere, ut læsiones vel prorsus non vel saltem rarius vigilantibus inferri queant, utque si nihilominus crimen



unquam committatur, reus præscriptam effugere nequeat poenam, quo demum plenam securitatem aliquando obtinendam esse censuerunt. At si vel prorsus omittamus quæstionem, cui sane uberissima patere videtur occasio, num scilicet vere sperandum sit, talem unquam inveniri posse institutionem civilem, quæ ab omni alia parte respondeat fini; una tamen restat ratio, qua efficitur, ut nunquam in solius securitatis cura subsistere liceat. Ea scilicet est quod, cujuscunque indolis essent ejusmodi institutiones, tamen non nisi hominum opera efficaces redderentur. Hinc enim sequitur, ut eadem ratio, ob quam universim opus sit institutis, quibus deterreri queant homines a læsionibus aliis inferendis, ea nempe, quod vitiis obnoxii sint, etiam in specie locum habeat a parte eorum, quorum est institutionibus publicis suam auctoritatem asserere, quibusque igitur commissa est illa vis motrix, qua defi-

ciente inutilia manent instituta. Hoc enim cum ita sit, merito quæritur, quomodo coercendi sint illi ipsi, a quorum potestate pendet, utrum media coercitiva applicanda sint, necne. Huic quæstioni certe respondebitur: administrationem reipublicæ ita instituendam esse, ut unus in alterum inspiciat, ita ut, ad se invicem adtenti, ne quis sua postponat officia mutuo vigilant. At quousque ascenditur in serie eorum, qui publicis negotiis funguntur semel tamen ad summum gradum pervenitur. Summis magistratibus scilicet superior quidem est imperans; per constitutionem civilem itidem fieri potest, ut inter diversas personas distribuatur summum imperium civile; quid? quod etiam constitutum saltem cogitare possumus talem ephoratum, quem proposuit Fichtius, ita ut illi iterum, adversus imperantem vel eos, qui reipublicæ administrationi vacarent, provocationem ad populum admittendi potestas permitteretur. At vero etiam

a parte eorum, qui summum tenent imperium, a parte ephororum, si qui constituti sint, et denique etiam a parte ipsius populi, ad quem demum provocandum esset, committi potest injuria. Ut cunque igitur sit, fieri non potest, quin demum eo perveniamus, ubi deerit illa coercitio psychologica, quæ reipublicam continere debebat; unde vero jam apparere videtur, integrum systema coercitionis parum firmo niti fundamento. Quod nam enim foret propugnaculum adversus injurias eorum, qui supremam exercerent potestatem, si soli coercitioni, cui vere non obnoxii essent, confidere nos oporteret. Et tamen certe non unicus est defectus, quem commemoravi. Quam parum enim sperandum sit, institutiones civiles tantam unquam assecuturas esse auctoritatem, ut vel in iis, qui vindictæ legum maxime expositi sint, quemlibet irritum reddere valeant impetum sensuum, securitati perniciosum, nemo non facile

videt. Id vero si fieri nequeat, omnis injuriam metuendi causa nunquam exulabit; atqui summum, quod demum obtineretur, foret, longe rariora ut fierent delicta, quam si non rite instituta esset ratio coercendi. Neque vero aliud sibi re vera promississe videtur Fichtius, qui et ipse argumentando provocasse videtur ad verisimilitudinem. Hanc vero si excedere non liceat, cur saltem, si fieri possit, eam non augere conabitur civitas cura voluntatis subditorum bene formandæ, vix alia reperietur ratio, quam quæ contineretur in metu ne; sic, ultra quam fas sit, circumscribatur libertas externa. Hinc verò primum sequitur, ne ullam quidem causam obstituram esse illi civitatis curæ, quatenus hâc non restringatur subditorum libertas. Inde, si vel maxime talem restrictionem secuturam esse illam curam concedatur, tamen, docet eadem theoria, quæ in quæstione est, libertati pro parte renuntiandum esse, re-



liqua ut habeatur salva. Hinc autem porro efficitur, ut si allatæ locus esset rationi, simul autem sibi consentanea maneret theoria quæstionis, probari saltem oporteret: subditorum libertatem, illa civitati imposita cura, ultra limitatam fore, quam ejusmodi institutionibus, quibus hæc supervacua redderetur. De his autem ulteriori disputatione haud opus esse videtur, cum superius allatis, ni fallor, satis constat, quantum intersit societatis civilis, ut vel aliqua ratione confidere liceat hominum voluntati; inde vero iterum apparet, quanti civitati sit religio, quæ facile non deerit, ubi adest virtus, hujus autem quæ fovet augetque vires. Cur autem mihi non necesse videatur, examinare, utrum rectior sit eorum sententia, qui finem civitatis directe amplecti religionem censuerunt, an eorum, qui solam licet securitatem ut finem profitentes societatis civilis, hunc tamen exigere curam religionis concesserunt,



fatis jam apparere puto. Quemadmodum enim utriusque partis sententiæ parum, ni fallor, a se invicem distant, ita etiam utraque cum ea, quam defendere conabor, satis congruere videtur. Observare insuper liceat, supremum, sine quo concipi nequit civitas, imperium non posse non efficere, ut omnes, quotquot ad illam pertineant, hoc agnoscere teneantur. Id monere primo forsan intuitu omnino superfluum esse videretur, cum nemo facile negaverit allati principii veritatem. Nihilofecius vero nonnunquam postpositum esse videtur non solum ab iis, qui proprio studio commoti, religionis prætextu potestatem imperio civili detrahere conati sunt, verum etiam ab ipsis auctoribus, qui de jure circa sacra disputarunt. Præterea, cum mihi argumenta inde ducenda esse videantur, prorsus omitti non potuit, nec opportunior alius videbatur locus, cum sibi juncta sic habeantur momenta ex notione societatis

civilis desumpta, quæ tanquam fundamentum in posterum mihi inservient.

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

*Principiorum de jure civitatis circa religionem deductio.*

Eorum, quæ priori §o attigimus, principiorum a postremo nobis jam ordiendum esse videtur. Quatenus enim quaeritur de libertate quoad religionem subditis concedenda, per se, ni fallor, patebit, non eam moveri quaestionem, quid unicuique credere liceat, quo scilicet respectu, civilis potestas certe efficax esse nequit. Neque vero eo restringitur quaestio, ut, quid intuitu religionis unicuique privatim suscipere concedendum sit, dispiciatur. Inprimis vero circa libertatem, communionibus ratione religionis initis tribuendam vertitur quaestio, ita ut, maxime quaeratur, quousque subditis vel variis eorum congregationibus convenire liceat de regulis, quibus mutuis viribus

operam daturi sint. Ne vero status, ut dicunt, in statu oriatur, prorsus necesse est, ut communionibus, de quibus sermo est, æque ac omnes aliæ ad civitatem pertinentes personæ, & physicæ & morales, supremo imperio submittantur. Si enim vel maxime religio cum fine societatis civilis non cohæreret, hoc tamen nequaquam prædicari potest de ipsis communionibus, quæ se religionis causa constitutas esse profitentur, vel in specie de omnibus, quos susciperent, externis actibus, seu principiis, quæ religionis nomine tueri vel in medium spargere forsitan conarentur ejusmodi communionibus earumve membra. Ea enim sub hypothese, ut, si modo religionis prætextu uterentur, auctoritati civilis imperii eximenda essent, eo ipso in eorum potestate foret, quælibet adversus rempublicam moliri, si modo religionem ita jubere crederent, vel saltem urgerent. Parum enim prodest, quod ratio ut Divina qui-

dem agnoscere nequeat præcepta, quæ civitati pernicioſa ſint. Cum ſcilicet ea ſit indoles intellectus humani, ut in devia facile duci poſſit, eaque natura hominis in genere, ut ſæpius, neglecto rationis juſſu, deſideriis ſenſuum obtemperet, intelligitur omnino, quomodo fieri poſſit, ut religionis nomine honoretur ejuſdemque ſub ſpecie propagetur doctrina quæ civitati maxime metuenda ſit. Partim nempe falſa eruditione una cum ſtupiditate, partim et præcipue malignitate fieri poteſt, ut, quibus datum fuerit, multitudinum ideas ducere, talia foveant principia, qualia indicavimus. Hæc vero iterum in vulgus, cujuſ fides plerumque ſervilis eſt, facile propagantur, inprimis cum miraculis licet adfectatis ſuſtinentur. Quid? quod proluxiori certe non opus eſt ſermone, ut quantum nomine religionis in perniciem generis humani effici poſſit, demonſtretur, cum hiftoriæ fide ſatis ſuperque conſtat de calamitatibus, quas



falsa religionis doctrina commoti homines importaverint hominibus. Forſan vero objecerit aliquis: etſi communio religionis cauſa conſtituta, qua talis, inſtitutiones civitatis non attingere, igiturque ejus imperio non ſubmiſſa eſſe poteſt, civitati omnino tamen patet jus, non ſolum quamlibet prohibendi rationem agendi, qua alioquin læderetur res publica, verum etiam in eam animadvertendi, etſi vel maxime huic inſervierit prætextui religio. Nunc vero ſurgit illa quæſtio, cui addicere oporteat jus de eo ſtatuendi, num actu, religionis nomine ſuſcepto, læſa fit res publica, necne. Huic autem triplici modo reſponderi poteſt. Aut ſcilicet ipſi communioni, aut civitati relinquatur illa poteſtas, aut denique ultra civitatem tertia inſtituatur auctoritas, cui decidere lites inter communionem & civitatem oriundas permittatur. Quodſi vero primum eſſet ſtatuendum, eccleſiæ pro arbitrio ſuam extendere poteſtatem relinquere-

tur, ideoque de supremo imperio civili ita fere actum esset. Idem vero fere valeret, si civitas tertiam agnoscere cogere-  
[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)  
tur auctoritatem ut judicem; quo fieri vix posset quin sua sufficientia pro parte se abdicaret. Haud alius igitur patere videtur exitus, quam ut civitati jus istud concedatur. Quod cum ita se habeat, in promptu quoque erit, quamlibet communionem, quamdiu civitatis esse particeps ejusque juribus frui velit, imperio civili submissam esse debere. Eatenus igitur cum Hobbesio facere possumus. Cum vero inde colligitur, imperanti de religione pro arbitrio statuendi jus competere, plus esset in conclusione, quam erat in præmissis. Id enim fert indoles supremi imperii civilis, huic ut obediendum sit in iis, quæ a parte ejus præcipiuntur. Quatenus autem quæritur, num ejus justa sint præcepta, non iterum ex plenitudine potentiæ argumenta deduci possunt. Eam igitur quod attinet quæ-

stionem, quid vel quantum de religione statuere liceat imperio civili, in memoriam revocemus oportet, finem civitatis curam religionis æque ac virtutis in genere desiderare. Civitati enim non potest non incumbere, fini suo, quantum in ejus potestate est, satisfaciendi officium. Hinc vero patet, haud aliam concipi posse rationem, qua curam illam suscipiendi obligatione liberaretur, quam, si vel ipsa indoles rei ferret, [ut civitati impossibile foret, aliquid intuitu religionis efficere, vel in fine civitatis primario contineretur ratio, qua religioni in specie prospicere impediretur\*]. Primam autem quod atinet rationem, hæc re vera si locum esset habitura, in essentia religionis quaeretur. Hujus scilicet notio, cum in-

\*) Quamvis scilicet ponitur, securitatem curam religionis desiderare, tamen sine contradictione statui posset, quandam rationem in ipsius securitatis studio latere, ob quam securitatem religionis ope carere oporteret.

volvatur agnitionem præceptorum ut divinorum, satis quidem perspicuum est, illi non nisi in mente hominum locum esse relictum. [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) Nam possunt quidem homines verba proferre actusque suscipere externos, quibus agnitionem voluntatis divinæ significare solent, etsi forsitan nequaquam ex tali agnitione proficiantur illa facta. Ad ejusmodi rationem agendi homines etiam certe induci poterunt & metu poenæ & spe præmii. Licet vero ita effici possit, ut quasi religiosi obtineant ritus, tamen nullo modo sic provenit religio, cujus externa indicia, quamvis animo indicantis aliena, haberi quidem poterunt, quæ vero ipsa non nisi animo, quo solo divinam agnoscere valemus voluntatem, retineri potest. Cum vero satis constat, actus animi nullam prorsus admittere coactionem, certe concedendum est, nondum coercitione promoveri religionem. Quid? quod etiam omnino accedendum esse videtur senten-



tiæ Mendelsohnii, quatenus porro injustum esse docet, si vel quædam jura communia (quibus alioquin subditi gauderent) subtrahantur iis, qui certam non amplectantur religionem, vel etiam nonnulla privilegia in præmium concedantur iis, qui eandem agnoscunt. Eorum enim intuitu, qui ultro agnoscerent religionem, cujus causa talia adhiberentur motiva, hæc quidem nullius essent momenti. Qui vero illam modo amplecterentur, ut conservarent jura, quæ alias amitterent, revera coactione morali impellerentur. Et si vel proprie non dicendus sit coerceri, cui præ ceteris eminentiora non conceduntur jura, in promptu tamen est, prærogativis concedendis non magis quam poenis irrogandis religionem, sed solam hypocrisin propagari posse. Hanc autem moralitati non solum nequaquam benignam, verum etiam maxime perniciosam esse monuisse sat est. Quod vero ex jam allatis sequitur eo modo redit, ut

nec coercere nec allicere subditos ad religionem amplectendam, omnibus vero plenam hoc respectu eligendi libertatem relinquere debeat civitas. Alteram vero quod attinet rationem, qua civitas abstineretur a religionis cura, hæc revera, non nisi in libertate subditorum in genere tuenda constaret. Hujus autem respectu hoc loco in memoriam revocare sufficiat, quod occasione theoriæ de fine civitatis ad securitatem restringendo monui. Quamdiu enim fateamur necesse est, in qualibet hypothesi circumscribendam esse libertatem externam, satis superque constat, nequaquam hinc deduci posse rationem absolute prohibendi curam religionis. Summum vero, quod exinde sequeretur, foret, ut, finimia sine jactura libertatis illam civitas suscipere nequiret curam, eam omittere deberet. Utrum vero nihil pro religione facere queat civitas, si salvam habituri sint subditi libertatem externam, quam iis com-

petere oportet, necne, de eo non aliter disputare licebit, quam nostram de civitatis circa religionem jure disquisitionem ulterius continuando. Cum scilicet modo eatenus quoad religionem limitata sit potestas civilis, ut vetitum sit, motivis subditos impellere ad actus religiosos, quæstio de jure civitatis circa sacra non cesfat, sed modo eo restringitur, ut nobis jam videndum sit, num intra limites ita positos, aliqua potestas civitati relicta sit. Hanc vero quod attinet quæstionem, jam ex allatis patere videtur, civitati tribuendum esse jus prohibendi cuilibet communioni, religionis instar positeri doctrinam, quam sequendo vel crimina vera committerent, vel aliis rationibus institutiones in utilitatem civitatis factas turbarent. Quando enim summo imperio civili subjectæ sunt, nequaquam dubitari potest quin in eas tanta pateat potestas civitati, quanta, si vel maxime huic religionem negligere liceret, rite uti posset.

Quod vero in specie attinet notiones atque principia, quæ relationem numinis divini ad hominem attingunt, distingvamus haud dubie oportet inter religionis universalis principia & earum, quæ positivæ dicuntur. Illis enim cum nequaquam carere possit doctrina, quæ vel aliquo jure nomine religionis poterit venire, non dubitari potest, quin civitati, cujus, ex prædictis, fit, tueri religionem, omnino pateat jus, simulque obligatio incumbat, prohibendi, ne subditi eorumve pars conspirent de ejusmodi principiis evertendis. Hoc cum ita sit, omnino etiam communioni, quæ ut religionem agnosceret doctrinam istis principiis adversantem, merito interdiceretur, eam profiteri. Contrarium si quis statueret, eo ipso legitimam censeret societatem, quæ fini civitatis eodem gradu contradiceret, quo justa religio civitati adjuvaret. Ejusmodi prohibitioni, de qua sermo est, non rite opponi poterunt argumenta, quæ ex



essentia religionis antea deducta sunt. Nondum enim coerceri dici poterit libertas quoad religionem eo, quod docere atque in medium propagare prohibeatur principia, quæ funditus ad evertendum cujuslibet religionis fundamentum tenderent, quæque igitur non nisi per abusum ad religionem referrentur. Omnino scilicet perspicuum est, vel plenissimam, respectu cujusdam objecti, concessam libertatem nequaquam tamen absolutam involvere facultatem, in omnibus rebus pro arbitrio statuendi. Potestas enim arbitraria utendi ratione agendi, quamdiu libertas ad certum restricta est objectum, hujus notionis terminos excedere nequit. Quod cum ita sit, in libertate, qua cuilibet, quamcunque velit, religionem agnoscere & universe in rebus, quæ eam attinent, suam sequi conscientiam permittitur, nullo modo contineri poterit jus, societatem ineundi de principiis stabilendis, quæ, cum primis cujuslibet re-

ligionis principiis contradicerent, nullo certe jure ad religionem referenda essent. Forſan quidem objecerit aliquis, nullam dari hujus mundi participem personam, quam ratio præ ceteris auctoritate ornaverit, ejus præcepta pronuntiandi. Attamen vix aliquis negaverit, quædam, in specie, religionis respectu, dari principia rationis; & nemo certe serio conatus fuerit probare, ita nobis in mundo hoc instituendam esse vitam, ut tanquam principium ponatur: præcepta rationis non esse consideranda. Eam quidem ob causam, quod scilicet nemo detur, qui præ aliis hominibus ut mandatarius rationis considerari possit, omnino necesse est, ut, quoties quæritur de tali violatione principiorum rationis, qua finis rei publicæ impediretur, huic relictum sit sententiam dicere. Si vel adhuc attulerit aliquis: fieri tamen posse, ut, quibus, nomine civitatis, iis de rebus, quæ loco hoc in quæstione sunt, statuere permit-

tatur, vel errore vel studio injusta sequantur principia, utque igitur sic, tanquam repugnans principiis religionis universalis, prohibeatur doctrina, quæ omnino innoxia sit. Hæc equidem non inficias ierim. At quam levis momenti sit allatum argumentum, haud difficulter patebit. Eo enim redit objectio hæc, ut juris prohibendi, quod, religionis intuitu, civitati concedendum esse putaverim, abusus fieri queat. Si vero hanc ob causam rejiciendum esset, idem etiam de quolibet jure civitati in subditos concedendo valeret. Nullum enim datur jus, nulla potestas, qua non abuti queat civitas. Si igitur in hac possibilitate sufficiens contineretur causa tollendi jus, alioquin bene fundatum, eadem ratione quoque omnia civitati denegarentur jura; quod absurdum esse nemo non videt. Quemadmodum vero jam expositis argumentis satis evictum esse crediderim, nullam in ipsa religionis essentia latere rationem, quæ

juri prohibendi obstet, quod supra imperio civili concessum sit; ita exinde quoque patere videtur, eo non nimiam fieri jacturam libertatis externæ in genere, cum nulla fere levior dari possit restrictio libertatis eâ, qua modo prohibetur, quod sana ratio plane reprobatur, quodque rei publicæ non posset non esse summo detrimento. Hæc autem optimo jure prædicanda esse de societate principiorum causa inita, quæ religioni universali repugnet, certe concedendum est. Neque vero ultra, quam constitui, extendendum esse istud jus vetandi, ex ante demonstratis, ni fallor, etiam facile apparebit. Licet enim argumentis, quæ superius ex indole religionis deducta sunt, modo efficere- tur: ut nec coercendi nec alliciendi essent homines ad certam doctrinam agnos- cendam; nunc vero, e contrario, num prohibere liceat cujusdam doctrinæ ag- nitionem, quærat; hoc tamen non ma- gis ac illud, quatenus nunc in quæstione



est, civitati permittere possumus. Quod si enim huic tribuendum esset jus prohibendi ratione eorum, quæ ad religionem positivam, [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) qua talem, pertineant; ratio non nisi in studio alius religionis positivæ defendendæ quæreretur. Quod vero attinet rationem hanc, primum in memoriam revocare oportet, quænam indoles sit argumentorum, quibus constare possit de veritate eorum, quæ positivam efficere censeantur religionem. Tanta enim vix esse poterit illorum vis, ut fides prorsus non haberetur illi, qui sibi persuasum denegaret. Quod vero maxime & quidem omnino rem decidit, hoc est, quod religionis beneficia non nisi illi pateant, qui ei confidet. Hinc enim primum sequitur, ejusmodi prohibitione, de qua nunc sermo, re vera nihil pro religione, ideoque non magis pro civitate effectum iri. Hoc autem cum ita sit, inde porro flueret, nullo jure limitari eorum libertatem, quibus ita interdiceretur, suæ obedire conscientiæ præ-

ceptis. Cum enim a parte religionis, quam civitas ita tueri vel propagare studeret, nulla daretur ratio, quæ prohibitionem tueretur, ~~non~~ ~~vel~~ ~~licite~~ ~~omni~~ ratione destituta esse videretur.

Haftenus id evicisse nobis videmur, ut religionem universalem quidem defendere debeat civitas adversus adgressiones, si quæ fiant a parte communionum, quæ religionem aliquam profitentur, ut vero ceterum, quatenus illa manet intacta, nec ullam prohibere liceat religionem positivam, nec ad aliquam agnoscendam vel metu vel spe inducere cives. Nondum vero ideo constat, civitatem omni destitutam esse potestate, pro religione certa agendi. Supra enim vidimus, ut maxime sit civitatis, religionem, quatenus nulla impedimenta obstant, promovere; unde porro sequitur, ut, quicquid intuitu religionis non vetitum sit civitati, non solum licite possit, verum etiam debeat suscipere. Hoc vero cum ita sit, si

modo ad nuper enucleata principia respiciamus, omnino erit in promptu, duas restare quæstiones: primum scilicet, num civitatis præ aliis interesse possit certa religio positiva; secundo, si jam propositæ quæstioni affirmative respondeatur; an omisso motivorum usu, quæ, ut vidimus, licite adhiberi nequeunt; media restent, quæ civitati inservire poterunt ad religionem positivam, quæ illi justa esse videatur, promovendam. Cum enim primum de eo constiterit, quod civitati una religio majoris momenti, quam alia sit, omnino quoque in promptu est, eandem rationem, ex qua cognoscitur, in genere civitatem curam religionis desiderare, etiam efficere, ut in specie studere debeat illi religioni promovendæ, quæ aliis præcedere videtur. Quando igitur semel præscripti sunt fines, intra quos civitati de religione statuendi potestas relinquatur, dubium non est, quin, si modo istos limites non excedat, omnibus, quæ cui-

dam religioni promovendæ inservire possint, mediis, licite uti queat. Primam vero earum, quæ nobis jam propositæ sunt, quæstionum quod attinet, breviter, ni fallor, huic responderi poterit. Quamvis enim variæ quidem concipi possunt ita dictæ religiones positivæ, quarum unaquæque fini suo æque congrua esse potest; nemo tamen, cui persuasum est de veritate revelationis, quæ uni religioni adjuncta est, unquam dubitare poterit, quin illa præferenda sit cuicumque alii religioni, quam verâ non confirmatam esse censeat revelatione. Præterea vero etiam earum religionum, quarum unius revelatio non certior esse videtur, quam alterius, una tamen ad honestatem inducendam alterâ magis idonea videri potest. Hæc autem cum ita sint, in dubitationem vocari non potest, quin civitati permagni momenti esse possit, ut in ea vigeat certa religio. Præterea vero ipsa rei indoles fert, ut si civitati quan-



tum possit, opera danda sit religioni inter subditos promovendæ, facere nequeat, quin justæ et illi, quam justam judicaverit, religioni, propagandæ debeat vacare. De hac quæstione igitur satis dictum esse videtur. Alteram quod attinet, huic non alia ratione responderi poterit, quam, instituta indicando, quæ, dum ab una parte fini commemorato inservire poterunt, ab altera regulas præscriptas non excedant. Nisi enim ante oculos habeantur ipsa instituta, de indole eorum nequaquam statuere possumus. Cum vero notio eorum semel data est, sine dubio per se patebit, utrum cum principiis stabilitis congrua sint necne.

Ex antea demonstratis vero satis constare videtur, societates seu communionem, cujuslibet religionis causa, (modo non adversetur religionis universalis principiis) licite a subditis iniri posse. Quemadmodum vero omnium rerum aliquod sit principium necesse est, ita etiam rei natura

fert, ut conventio, qua fundari poterit ecclesia, ad existentiam perduci nequeat, nisi aliquis primum id proposuerit, ut talis communio ~~constitatur.~~ **Hoc** autem cum ita sit, nondum dubitari potest, quin singulis eorum, quibus licitum sit, de ecclesia constituenda contrahere, quoque pateat jus, ejusmodi conventionem proponendi & ad eam ineundam alios invitandi. Hoc respectu vero idem, quod facere possunt privati, etiam a parte civitatis effici posse nemo non videt. Nihil enim obstat, quo minus civitas viris, hunc in finem electis, id negotium demandet, ut ad communionem ineundam invitent alios, quibus persuasum sit de veritate ejus religionis (positivæ) cujus principiis tuendis vel etiam propagandis inservire velit. Ita scilicet non excedi limites præscriptos in promptu est. Eo enim quod occasio præbeatur cuilibet, pro virili, faciendi, ut ejusmodi societas constituatur, nequaquam motivis impellitur. Id

vero, de quo nunc sermo, licite fieri posse etiam eo clarius esse videtur, cum aperte in contradictionem incurreret qui, libertatem religionis defensus, ab una parte cuique subditorum concederet copiam proponendi, quæ in quæstione est, ab altera vero conscientiam coerceri contenderet, cum eodem jure uteretur civitas. Est enim luce meridiana clarius, in utroque casu æque salvam mansuram conscientiam, quamdiu civitas non ultra quam subditi, potestatem suam extendit. Quemadmodum autem civitas subditis licite proponere potest, communionem cujusdam religionis causa constituere, ita etiam pro iis, qui hanc inire cupiunt, suis sumptibus facere potest, ut instituantur omnia, quæ necessaria sint ecclesiæ (visibili) veluti templum & alia, quæ ministerio Divino inserviunt. Ministros sacrorum quod attinet, generatim oportere videtur, ut qui communionem ultro ineunt, illos licite creare queant. Cum enim coeti-

bus sacris, pateat jus intra limites præfixos, de omnibus, quæ finem eorum attingant, statuendi, exinde quoque sequi videtur, ut **generatim. jure** ministros suos creandi gaudeant. Eos quod attinet coetus, quibus placuerit religio ab ea divergens, quam civitas ut justam agnoverit, certe non dubitari potest, quin iis relinquere debeat jus, de quo nunc sermo est. Si enim ejusmodi communioni ministros crearet civitas, eo ipso illi religioni subserviret, cujus causa communio esset constituta. Hoc argumentum quidem non afferri potest ratione coetus, qui eandem amplexus est religionem, quam veram judicaverit civitas. Quatenus vero absque civitatis auxilio constitutus est, sufficiens vix datur ratio prohibendi, ne ministros suos eligat. Nam jus prohibitionis, quod generatim civitati competit respectu coetuum sacrorum eo jam supra vidimus restringi, ut modo cavendum sit, ne quid suscipiant



ad religionem universalem evertendam. Hinc autem nequaquam sequitur, ut univ-  
erse prohiberi debeant, suos eligere mi-  
nistros. Quod inde vere deduci potest id  
est, ut rite impedire queat civitas, ne sa-  
cro munere fungatur, qui eodem abuti-  
tur ad violanda principia, quorum tur-  
bationem prohibere debeat civitas. Et  
id quidem impedire potest, licet vel maxi-  
me ipsa communio secura pateretur ejus  
modi abusum. Cum porro, vi supremæ  
inspectionis, civitati vix denegari possit  
jus prospiciendi, ne constituatur talis mi-  
nister sacrorum, quem semel creatum  
mox removeri oporteret; civitati quoque  
addicendum esse videtur jus, illi, quem  
elegerit communio, uti res tulerint, auc-  
toritatem vel adferendi vel detrectandi.  
Quamvis vero ita limitatur potestas, quæ  
nuper sacris coetibus tributa est, tamen  
non tollitur. Per abusum quidem hoc,  
æque ac quocunque alio respectu, ul-  
tra justos limites suam potentiam exten-

dere potest civitas. Re vera autem aliud omnino est jus ipsum munus deferendi, aliud jus, si indigno delatum fuerit, eum ab officio removendi.

Licet vero iis, qui absque civitatis auxilio ecclesiam constituunt, observatis nuper allatis restrictionibus, relinquatur, suos creare ministros sacrorum, e contrario civitati ex simili ratione concedendum esse videtur jus, ministros constituendi ecclesiæ, quam ipsa instituit. Sic enim non violari libertatem eorum, qui communionem a civitate propositam inierunt, in promptu est, cum hanc ineundo, omnino non aliud egerint, quam ut conditionem a parte civitatis propositam admiserint. Civitati tamen curæ esse debet, ne ministrum constituat, cui fidem non habeat communitio; talem enim parum vel nihil profecturum esse religioni, palam est. Quemadmodum igitur nuper civitati concedendum esse videbatur jus rejiciendi, si quem indignum constituisset commu-

nio, cui ceteroquin pateat jus creandi, ita civitas, quatenus hæc exercet istud jus, communioni vix obtrudere debet ministrum, quem illa recusaret. Ceterum in qualibet hypothefi religioni, cujus causa ecclesia constituta fit, civitas succurrere potest, suis sumtibus stipendia solvendo, quibus ministri sacrorum sustentandi sint \*). Unam igitur vidimus rationem, qua civitas, operam dare potest cuidam religioni promovendæ, ipsam scilicet ecclesiam instituendo. Plu-

\*) Cum Mendelsonio p. 63 sq. visum fuit, stipendium & munus docendi non sibi bene congruere, illi vero tamen placuit, iis qui hoc munere funguntur, indemnitate esse præstandam temporis ratione, quod allato fini impendunt, rite observasse videtur Zönerus, Mendelsonium vix sibi bene constare, cum in genere stipendia, quæ pro officiis publicis solvuntur, non nisi loco indemnitate præsentur. Præterea nec rationi contradicere videtur, ut qui docendi munere fungendo impediuntur, quo minus alii vitæ generi operam dent, congrua remuneratione fruantur.

res vero dari rationes facile apparet. Iisdem argumentis, quibus supra evictum est, religionem univérse civitati curæ esse debere, ~~voluntate quoque~~ efficitur, institutionem juventutis non negligendam esse. Cum enim primum constiterit, coercitioni soli non confidendum, verum etiam, quantum fieri possit, id agendum esse, ut in subditis vigeat honestas, nequaquam dubitari potest, quanti sit momenti, ut pueri juvenesque bene instituantur. Hanc ob causam vero ab iis saltem, qui solis institutis coercitivis non studendum esse voluerunt, satis quoque receptum esse videtur, oportere, ut in civitate bene composita publicæ habeantur scholæ, quæ inserviant pueris instituendis \*). Cum autem in ejusmodi

\*) Perspicuitatis causa loco hoc, licet forsan in superfluum, monere liceat, me nequaquam id demonstrare voluisse, ut privata institutio puero-  
rum prohibenda sit. De hac re disserere nondum in animo fuit; ceterum modo paucis in-



scholis inter alia doceri oporteat religionem, etiam heic oritur modus, quo civitas, salvis limitibus antea præscriptis, un. præ aliis prospicere possit religioni, eo nempe, quod hanc in scholis publicis doceri jubeat. Id enim fieri posse, ut (nullis adhibitis motivis, quibus ad religionem agnoscendam vel cogendi vel allicien- di animi essent) solis argumentis propagari queat doctrina, per se tam perspicuum esse videtur, ut vere ne alia quidem ratione doceri posse manifestum sit. Quid? quod libertatem religionis, quæ subditis in genere concedenda est, nequaquam violari eo quod civitas id agat, ut in scholis, jussu ipsius institutis, proprie non nisi ea religio (positiva) doceatur, quam veram esse censeat, eo magis elucet, cum id efficiendo civitas vere non aliud agat, quam ut per mandatarios id fieri curet, quod cuilibet licere maxime supponunt

dicare volui, publicas scholas non deesse debere.

acerrimi libertatis defensores. Inde quod pueri, quorum intellectus nec satis exercitus nec sufficienter edoctus sit, non tam discernere valent *vera & falsa*, quin facile circumveniri possit eorum iudicium, vix oriturum crediderim argumentum pro contraria sententia. Observari omnino oportet, non solum ut iis solis exponatur religio, qui eo usque ætatis perverunt, ut notiones huc pertinentes capere valeant, verum etiam, ut quibus docendi munus demandetur, eâ, qua par est, ingenuitate, discipulos instituant. Si quid eo respectu ab una vel altera parte peccetur, id non imputandum est nostræ thesi. Nam salva manet libertas religionis, cum argumenta examinandi, quæ de doctrina exposita in utramque partem afferuntur, suamque sequendi conscientiam, libertas cuique relinquatur. Præterea si quid argumento, de quo jam locuti sumus, efficeretur, revera id esset, ut nullam prorsus religionem positivam

docere oporteret discipulos. Ut enim in scholis publicis exponendæ essent omnes, quas diversæ gentes agnoverint, religiones positivæ, nemo facile voluerit. Quamdiu vero eâ est hominum indoles, ut universim iis non sufficiat religio universalis, a parte civitatis vix aliud fieri potest, quam ut eam curet doceri religionem positivam, quam justam esse censeat. Quemadmodum autem illius institutionis respectu, quæ in scholis locum habere debeat, eâ, quam indicavi, ratione, me iudice, recte utitur civitas; ita, ni fallor, quilibet etiam facile fatebitur, eam studio theologiæ in academiis colendo rite operam esse daturam, si præter religionem universalem munus docendi restringatur ad eam religionem positivam, quam ut veram agnoverit civitas. Ita enim nequaquam excedi fines, quibus potestas civilis ratione religionis circumscripta est, monere sat est. Una vero quibusdam forte occurrere videtur difficultas, qua-

tenus certam religionem in publicis scholis atque academiis docendam esse duxi. Cum scilicet exinde efficiatur, ut quibus docendi munus deferatur, certam disciplinam sequi obligentur, oriri videretur quaestio, an occasio non ita pateret iis (ratione religionis) coercendis, qui certam normam sequi ita tenerentur. Primum autem observare liceat, quod, si vel maxime id ita se haberet, illi coercitioni tamen nondum universim obnoxii essent subditi, verum modo illi, qui muneri religionem docendi vacarent. Eos vero quod attinet, certe nemini in mentem venerit, quin libero cujusque arbitrio relinquatur, utrum officio, de quo sermo, se dare velit necne. Hoc vero cum ita sit, civitati nequaquam imputandum esset, si forsan aliquando eveniret, ut aliquis nomen daret religioni docendæ, de cujus veritate sibi non persuasum haberet, id quod ceterum non valde metuendum esse videtur. Uni solum igitur locus est rationi, qua quidem



fieri posset, ut aliquis tali munere fungens, nulla sua culpâ coercitioni conscientiae exponeretur. Ea nempe occurreret, ubi aliquis ad munus accedens eidem assentiretur religioni, quam docendi officium susciperet, postea vero in contrariam abiret sententiam. Si enim ejusdem conscientiae jam repugnaret, docendo sequi disciplinam, quam explicare in se suscepisset, illi vero non aliud pateret vitae genus, unde ipse, forsan etiam familia, si qua gauderet, sustentaretur, difficilis quidem esset electio. At si cura habeatur, ut doctrina satis instructi sint, quibus demandetur, alios docere, vix saepius contingere potest illud, de quo nunc sermo est, casus. Rarius enim fit, ut, qui diu cuidam disciplinae inhæserint, ejus principia deferant. Fac vero, ut aliquando forte eveniat, quod nuper commemoravimus. Nequaquam tamen inde sufficiens deduci posset ratio, ob quam civitas omitteret curam religionis,

quæ salutis reipublicæ esse videretur. Hoc scilicet eo magis perspicuum est, cum semper potestatem haberet civitas prospiciendi illi, qui ob talem, quem supposuimus, casum, verè non aliter salvam conservare posset conscientiam, quam munus suum abdicando. Ceterum iis, quorum sit docere certam religionem, nihil fecius imprimis in academiis, in quibus altiores litterarum disquisitiones instituendæ sunt, ideo non interdictum esse, dubia movere, quæ illis forte oriantur, vix negari poterit. De his vero, quæ proprie methodum docendi attinent, disserere, ultra hujus disertatiunculæ fines esse videtur; quatenus autem in iis, quæ jam allata sunt, supposui, obligationem certam docendi religionem, valide induci posse, adhuc monere liceat, neminem quidem se ad id obligare posse, ut idem in perpetuum credat; hinc autem nullo jure deduci, ut non valeret obligatio, vi cujus, alicui in posterum docere prohibe

retur disciplinam contrariam illi, de cuius veritate sibi persuasum habere profiteretur. Cum vero libri symbolici esse dicantur, qui [www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn) principia cujusdam religionis contineant, per se quidem patet, quod nuper de religione positiva generatim dictum est, de libris symbolicis æquo jure valere.

§. 8.

Præcipuæ nobis jam indicatæ videntur rationes, quibus civitas rite studere potest religioni propagandæ, quam veram esse censet. Iisdem nequaquam directe limitari libertatem civilem, ni fallor, ex supra allatis satis perspicuum est. Quatenus vero forte quæreretur, an usu earum facto, indirecte circumscribatur libertas, omnino quidem constat, quod sumptibus civitatis fieri nequeant instituta, quæ religionis causa facienda esse indicavimus, nisi subditi ad impensas hunc in finem comparandas tributa conferant.

Hinc vero nihil certe efficitur in præjudicium sententiæ nostræ. Nemo enim subditos obligari negaverit ad participandas impensas necessarias ad ea, quæ facienda jure constituerit civitas. Cum igitur antea evictum sit, officium civitati jubere, ut religioni promovendæ interviat, quæ justa esse videatur, eo ipso quoque constat de obligatione civium tributa præstandi, quæ hunc in finem exigantur. Hocce officio liberatum iri, qui religionem non agnoscunt, quam profitetur civitas, nullo jure contendere possunt. Sufficit enim quod civitati, cui supra vidimus, quatenus in hypothefi est, competere jus de ea re statuendi, in genere salutaris esse videatur religio, cujus causa impensæ faciendæ sint.

§. 9.

Ex omnibus, quæ hætenus demonstrata sunt, nobis jam constare videtur



de sequentibus principiis: I) *Competit civitati jus, quamcunque religionem (doctrinam, quam ut religionem profitetur communitio quædam) eatenus prohibendi, quatenus vel in genere institutis publicis ab una vel alia parte adversatur, vel in specie principiis religionis universalis contradicere ab civitate censeatur.* II. *Religionis causa, quam ut veram civitas agnoscit, huic licitum est,*

- 1) *ecclesiam ineundam proponere et publicis sumtibus instituere*
- 2) *efficere, ut religio nomine civitatis publice doceatur.*

Quid uno vel altero respectu ulterius a parte civitatis rite constitui possit, de eo singulatim disserere fines nostros excedit.

§. 10.

Aboluta jam esse videtur disquisitio de ipso jure civitati concedendo religionem dominantem constituendi. Cui vero

auctoritati civili hoc jus tribuendum sit, commemorare haecenus ideo omisi quod, illa demum disputatione peracta, huic quaestioni locus fieri videtur. Nunc autem primum quaerere licet, num legibus fundamentalibus de religione statuendum sit. Quamvis vero hoc a populis, et quidem sequioribus temporibus, receptum vidimus, in contrariam partem nobis tamen abeundum esse videtur. Quod enim legibus, de quibus nunc sermo, propositum sit, formam civitatis, seu modum tradere, quo summum imperium distributum esse oporteat, satis quidem constat. Atqui cum hoc argumento non magis cohaerere videtur religio, quam alia quaecunque materia, civitati jam constitutae proposita. Huc autem accedit, quod, civitatis formam constituendo, omnino id agatur, ut haec aeterna maneat. Cum vero nemo, cui vel maxime persuasum sit de cujusdam religionis veritate satis

certus esse queat, an aliquando forte non convincatur de alia doctrina; hinc quoque, ratio, ni fallor, surgit, ob quam fundamentalibus legibus non rite statuere oporteat de religione. Hoc autem si ita se habeat, paucis haud dubie propositæ quaestioni respondere licet. Per se enim satis perspicuum est, quod, quatenus necesse videatur, ea religionis universalis principia pronuntiare, quæ violare nefas sit; id per legem fieri oporteat; nec sane in dubium vocari posse videtur, quod simili modo voluntatem suam effari debeat civitas de iis, quibus cuidam religioni positivæ, quantum licite fieri possit, prospicere velit. Cum vero ceterum de forma imperii disserendi non locus sit, penitus de illa re disputare haud opus esse videtur. Solum addere liceat, quod si populus potestate legislativa gaudeat, vix fieri possit, quin, si in eo semel vigeat certa religio, huic præ ceteris prospiciatur a parte

civitatis. Si vero alia fuerit imperii forma, legislator æquitatem non minus quam prudentiam secuturus nec facile, licet persuasum sibi habeat de alius religionis veritate, civitatis nomine deerit illi, qua per annorum decursum subditorum felicitati æque ac honestati bene consultum fuerit.





[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

173 90

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

www.libtoof.com.cn

Deacidified using the Bookkeeper process  
Neutralizing agent: Magnesium Oxide  
Treatment Date: Dec. 2004

**Preservation Technologies**  
A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive  
Cranberry Township, PA 16066  
(724) 779-2111



[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

**HECKMAN  
BINDERY INC.**



**APR 90**

N. MANCHESTER,  
INDIANA 46962





LIBRARY OF CONGRESS



0 013 651 154 3



[www.libtaol.com.cn](http://www.libtaol.com.cn)